

tiæ luculentia confirmat; accidentiaq; ejus, ac effectus satis de-
 monstrant. Eumq; tunc se præcipue proderet, humoris melancho-
 lici minera dominium quando obtinet, reliquisq; est potior, ac
 peculiariter disposita. Quid verò propriè per humorem melan-
 cholicum intelligamus, *aphor. 1. dictum & Hier. Mercur. d. aff. cap.*
part. annex. l. 1. c. 4. explicat. Licet enim injam recensitis affectibus
 omnibus, satis fumorum ac vaporum ad caput feratur semper:
 tamen in nullo eorum talia præsto esse symptotama videmus, qua-
 lia hoc peccante sese offerunt. Quamquam enim unum vel alte-
 rum in hoc etiam contingens, producant; tamen proinde ejus na-
 turam non totam complent, suntq; illa iis communia, non pro-
 pria ac essentiam cujusquam constituentia. Cujus verò humor hic
 sit naturæ, & quibus modis vaporibus de se eructatis, cerebrum
 lædat, spiritusq; cum primis animales inquinat ac corrumpat, va-
 riè inter autores disceptatur. Quorum aliqui ex manifestis ejus
 qualitatibus, omnia hæc deducere conantur. Quidam, ut *Plater.*
& Fuchsius, malignitatem aliquam eidem tribuunt. Sed cum è pri-
 mis ac elementariis qualitatibus, omnes rerum effectus, mira q; in-
 terdum accidentia deducere haud possimus; ipsiq; *Hippocr. & Galen.*
 in iis non acquieverint, *Scaligerq;* dicat; *tale quid conari, summam*
impudentiam esse, ac *Senn. celeberr.* passim in suis operibus; quæ loca
 hic consignare velle omnia, nimis amplum occuparet spatium;
 luculenter, planissimè ac plenissimè de hac re ac controversiâ agat;
 meritò & nos ejus subscribimus sententiæ. Ac uti in partis cujus-
 libet naturali constitutione, non ad temperiem primariam quali-
 tatum tantum respiciendum; sed & specifica ac peculiaris ejus
 dispositio attendenda est: ita & in præternaturali cujusq; consti-
 tutione, humorumq; dispositione in iis non subsistendum, sed
 ulterius progrediendum, secundæq; ac occultæ inquirendæ. Proin-
 nec in humoris melancholici, affectusq; nostri minere consideratione,
 primas tantum expendendas censemus qualitates; nec
 ideo malignitatem prorsus eidem tribuendam existimamus: sed
 mediæ insistere viæ, tutius putamus; ac cum *Sennerto*, PECULIAREM
 nobisq; ignotam eidem adscribimus, ac inesse credimus disposi-
 tionem spirituum naturali constitutioni maximè contrariam, eos-
 que ut supra ex jam nominato Viro Celeber. diximus, ἀπὸ τοῦ
 ἑνὸς ἰσχυροῦ

dammo

-